



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

De instabilitate cordis, & de intentione finali, ad Deum habenda. 33

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48701)

stares, & eius quem tibi præposui patris: tunc mihi valdè placeres, & tota vita tua in gaudio & pace transiret. Adhuc multa habes ad relinquendum: quæ nisi mihi ex integro resignaueris, non acquires, quòd postulas. Suadeo tibi *Apo. 3.* emere à me aurum ignitum, vt locuples fias, id est, cælestem sapientiam, omnia infima conculcantem. Postpone terrenam sapientiam, omnem humanam & propriam complacentiam.

3 Dixi, viliora tibi emenda pro pretiosis & altis, in rebus humanis. Nam valdè vilis & parua, ac penè obliuioni tradita videtur, vera cælestis sapientia: non sapiens alta de se, nec magnificari quærens in terra, quam multi ore tenus prædicant, sed vita longè dissentiunt: ipsa tamen est pretiosa margarita, à *Mat. 13* multis abscondita.

CAP. XXXIII.

De instabilitate cordis, & de inuentione finali, ad Deum habenda.

Fili, † noli credere affectui tuo: qui Dominus nunc est, citò mutabitur in aliud. *Iob. 14.*
 Quamdiu vixeris, mutabilitati subiectus es, etiam nolens: vt modò latus,
 I 2 modò

modò tristis : modò pacatus , modò turbatus : nunc deuotus , nunc indeuotus : nunc studiosus , nunc acediosus : nunc grauis , nunc leuis inueniaris . Sed stat super hæc mutabilia sapiens , & benè doctus in spiritu , non attendens , quid in se sentiat , vel qua parte flet ventus instabilitatis : sed vt tota intentio mentis eius , ad debitum & optimum proficiat finem . Nam sic poterit vnus & idem , inconcussusque permanere , & simplici intètionis oculo , per tot varios euentus , ad me imprætermisè directo .

Matt. 6. 2 Quantò autem purior fuerit intentionis oculus , tantò constantius inter diuersas itur procellas . Sed in multis caligat oculus purè intentionis : respicitur enim citò in aliquod delectabile , quod occurrit . Nam & rarò totus liber quis inuenitur , à næuo prioræ exquisitionis . Sic Iudæi olim uenerant in Bethaniam , ad Martham & Mariam : non propter Iesum tantùm , *Io. 11.* sed & vt Lazarum viderent . *Matt. 6.* Mundandus est ergo intentionis oculus , vt sit simplex & rectus , atque vltra omnia varia media ad me dirigendus .

C A T.